



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXI. Argumentum. Referuntur rationes, quibus Ecclesiastici, de bonis per eos cumulatis redditibus beneficiorum, tenentur potiùs facere Eleemosynam in vita, quà eam ordinare faviendam in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

illas, & omnem circa regionem. Genes. 19. 25. 8. Invehendum præcipue, ut propensi in luxuriam fugiant occasiones, ac feminarum conversationes; ait enim Apostolus: fugite fornicationem, 1. Cor. 6. quandoquidem, qui amat periculum, in illo peribit. Eccles. 3. 27. Unde pulchrum Distichon Marcantii:

Quid facies, facies Veneris si veneris ante?

Non sedes, sed eas, ne pereas per eas.

9. Injungendam frequentiam Sacramento-
rum, quæ sunt. Nubes roris. Isaia 18. 4. Et fructum electorum, & vinum germinans Virgines. Zach. 9. 17. 10. Afflictiones corporis exercendas, jejunii, cilicii, flagellationibus: Castigo corpus meum, dicebat Apostolus 1. Cor. 9. & S. Thomas agebat, Castitas dicitur à castigando. 11. Oratione vacandum: Orate, ne inreris in tentationem. Matth. 26. 12. Meditanda, & memoranda novissima: quis enim non desinet peccare, si attentè recogitabit horrorem mortis, terribile iudicium, æternitatem inferni, celestem gloriam? 13. Considerandum: modicum esse Voluptatem carnis, quæ tamen vitam minuit, vires debilitat, formam deturpat, divitias dissipat, & mortem æternam parat: Neque enim fornicarii, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt. 1. Cor. 6. 14. Recolendam esse Dei præsentiam, & Angeli custodis assistentiam, ne audeant committere in ejus conspectu, quod videntibus hominibus nunquam facerent, juxta illud S. Bernardi in Psalm. Qui habitat in quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habet. Tu ne audeas illo præsentem, quod videntem me non audeas. 15. Otium vitandum, quia Multam malitiam docuit otiositas. Eccles. 33. & ab aspectibus mulierum, ac multò magis à tactibus cavendum: Mors enim ascendit per fenestras nostras. Jerem. 9. prout etiam à turpiloguis, nam corruptunt bonos mores colloquia prava. 1. Cor. 15. 16. Actandem eleemosynas pauperibus dandas, quia Beati misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequentur. Matth. 5. 7. Quæ omnia, ac alia permulta utilissima habentur apud Reginaldum in Praxi fori Pen. lib. 7. de Sacram. satisfact. & prudentia Confessarii in ea imponenda, num. 57. 58. & 59. Car. Pallavic. de Art. perfect. Christiana lib. 2. cap. 8. 9. 10. & P. Paulum Segner. Soc. Jesu, in aureis suis libellis, Confessor. instructus cap. 12. nec non Penitens instructus cap. 12. & 13.

DECISIO CXI.

ARGUMENTUM.

Referuntur rationes, quibus Ecclesiastici, de bonis per eos cumulatis ex redditibus beneficiorum, tenentur potius facere Eleemosynam in vita, quam eam ordinare faciendam in testamento post mortem.

SUMMARIUM.

1. Eleemosyna non solum est de consilio, sed etiam de Præcepto.
2. Præceptum Eleemosynæ an sit ex justitia, an ex charitate?
3. Beneficarii non facientes eleemosynam quando peccent? & num. 8. ac num. 9.
4. Eleemosyna in duobus casibus omnino facienda.
5. Necessitas triplex Extrema, Gravis, & Communis.
6. Bona temporalia tripliciter considerantur.
7. Pauper quando sit subveniendus de Præcepto?

10. Pauperum appellatione veniunt etiam Ecclesiæ.
11. Beneficiarius an rectè differat eleemosynas, ost suam mortem?
12. Eleemosyna fructus tres.
13. Eleemosyna magis prodest facta in vita, quam post mortem.
14. Eleemosyna facta in vita remuneratio major.
15. Lumen præcedere oportet in via.
16. Testamenta, ut plurimum, inexecuta.
17. Munus datum post mortem parum valet.
18. Misericordes homines ab omnibus laudantur.
19. Eleemosyna non causat pauperiem.
20. Prædestinationis signum est eleemosyna.

PRæmiserunt pro dilucidatione hujus importantissimi Casus.

Primò. De Eleemosyna pauperibus faciendâ, non solum haberi Consilium in Divinis Scripturis, sed extare Divinum Præceptum, tum in Deut. 15. 11. Non de erunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco EGO PRÆCIPIO tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum versatur in terra. Tum in Evang. Luc. 11. 14. Quod superest, date eleemosynam, & Matth. 25. 35. ubi Dominus differens de futuro iudicio refert opera misericordiæ, & eleemosynæ, super quibus omnes judicabuntur, & propter quorum omissionem reprobi condemnabuntur; unde S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 5. ait, Nullus punitur pena æterna pro omissione alicuius, quod non cadit sub præcepto, sed aliqui puniuntur pena æterna pro omissione eleemosynarum, ut patet Matth. 25. ergo dare eleemosynam est in præcepto.

Secundò: Quod licet Doctores dispurent, & inter se non convenient, an Præceptum eleemosynæ sit ex justitia, vel ex charitate? ut videre est apud Gabrielem Vasquez in opuscul. moral. de Eleemosyna cap. 4. num. 8. ubi viginti Doctores allegat; apud Suarez de Charitate disput. 7. sect. ultim. Castropalaum de Charitat. tract. 6. dub. 2. punct. 3. & Sanchez tom. 1. Consil. lib. 1. cap. 5. dub. 5. num. 59. Tamen omnes concorditer tenent, Beneficiarios non facientes eleemosynam de redditibus Ecclesiasticis superfluis decentiæ status sui peccare mortaliter, quacunque contraria consuetudine non obstante Vasquez ubi supra num. 12. Moscon. de Majestate militantis Eccles. lib. 1. part. 3. pag. 493. lit. C. Sanchez d. tom. 1. consil. lib. 2. cap. 3. dub. 38. & ego probavi in meis Decisionibus de Penitentia Decis. 10. per totam, à Cordato Viro legendam.

Tertiò quod quamvis hoc præceptum, tanquam affirmativum, non obliget semper, & ad semper, nihilominus ad cognoscendum, quando sit faciendâ eleemosyna, duas esse regulas; nempe, quando pauper est in necessitate extrema, vel gravi: vel quando dives habe superflua statui suo; utraque enim respectivè, Necessitas scilicet, & Abundantia, per se obligat ad eleemosynam dandam juxta securiorem opinionem. S. Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 5. quæst. 66. art. 7. & quæst. 188. art. 4. ad 2. Cajetan. Opuscul. de Eleemos. cap. 3. Layman. alios allegans lib. 2. tract. 3. cap. 6. sub num. 3. Abulenſis in Matth. cap. 6. quæst. 4.

Quartò: Necessitatem pauperum Triplicem esse, Extremam, in qua, nisi succurrantur, amissuri sunt vel vitam, vel honorem, vel libertatem. Gravem, in qua difficillimè absque eleemosyna possunt se tueri in suo statu. Et Communem, quæ

quæ in mendicantibus ostiatum consideratur; S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 5. Sanchez tom. 1. consil. lib. 1. cap. 5. dub. 5. num. 4. Cotonius lib. 1. Controv. 7. cap. 1. num. 7. & Illustriss. Episcopus Sperellus in tract. de Eleemosyna cap. 45. num. 7.

Quintò: Bona esse in triplici differentia.

- 6 Alia dicuntur necessaria naturæ, id est pro victu, & vestitu sui, & familiæ. Alia sunt superflua naturæ, sed necessaria statui honesto sui, vel suorum, habita ratione etiam casuum, qui probabiliter timeri, vel expectari debent, & quos recta prudentia considerat. Et alia dicuntur superflua statui. S. Thom. & Sanchez ubi supra. Coton. dict. Controv. 7. cap. 2. num. 22.

Sextò: Pauperem existentem in Extrema necessitate esse ab omnibus juvandum de superfluis tum statui, tum naturæ, cap. Non satis, 14. & cap. Pasce. 21. dist. 86. S. Thomas 2. 2. quæst. 8. art. 7. Ordo enim charitatis requirit, ut præferamus Vitam, honorem, & Libertatem proximis nostris temporalibus. Sperell. d. cap. 45. num. 8. 9. & 10. Sanchez dict. lib. 1. cap. 5. dub. 5. num. 28. In Necessitate verò Gravi, aut Communi, Doctores discrepant circa obligationem laicorum dandi eleemosynam de superfluis statui, licet opinio affirmativa sit securior, & verior, ut videre est apud Sanchez ubi supra Layman. dict. lib. 2. tract. 6. num. 7. Castropal. tom. 1. tract. 6. disput. 2. num. 15. Et Sperell. dict. cap. 45. à num. 13. usque in finem. At circa Beneficiarios docent concorditer omnes Doctores, eos teneri sub peccato mortali eleemosynam facere de redditibus Ecclesiasticis superfluis decentiæ statui sui. Vasquez dict. cap. 4. num. 14. & 15. Cajetan. 2. 2. quæst. 71. art. 1. Coton. dict. lib. 1. Controv. 7. cap. 1. num. 7. Dixerunt de Redibus Ecclesiasticis, quia de Patrimonialibus, vel quasi Patrimonialibus, (quales sunt distributiones quotidianæ, oblationes pro Missæ celebratione, aliæ lucra studii, vel industriæ) tantam obligationem habent, quantam ipsi laici, & non majorem. Sanchez tom. 1. Consil. lib. 2. cap. 2. num. 4. Sperell. dict. tract. cap. 46. num. 3. & 4.

Stat igitur indubitata conclusio, ex redditibus Ecclesiasticis superfluis statui decenti beneficiariorum, esse omnino faciendam Eleemosynam sub pœna peccati mortalis, ut probant Theologi, & Canonistæ cumlati per Sperell. d. cap. 46. à num. 5. & seqq. ubi rationes reddit, & Canonnes allegat, nec non Conc. Trident. de Reformation. Sess. 25. cap. 1. Et idem docet Eminentiss. Cardin. de Lugo tom. 1. de Justit. & Jure disput. 4. sect. 2. num. 16. Vasquez dict. cap. 4. num. 17. Quod adeò verum est, ut non solum beneficiarii teneantur pauperibus petentibus eleemosynam dare, sed ulterius (præcipue si curam animarum habeant) debeant eos perquirere, ad differentiam laicorum, qui ad id non adstringuntur. Vasquez dict. cap. 4. num. 14. Sanchez d. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 39. num. 4. & 5. Diana part. 4. tract. 4. resol. 158. Quæ in Coordinato est tom. 4. tract. 7. resol. 31. & Sperell. dict. cap. 46. num. 12.

10 Declaratur tandem, appellatione Pauperum venire etiam Ecclesias, & omnia pia opera quæcunque. Fagnan. in cap. Si quis sanè, num. 22. de Pecul. Cler. ubi notat num. 28. Abbatibus commendataris solitum esse injungi per Papam in literis Apostolicis, ut tertiam, vel quartam partem fructuum expendant, vel in alimoniam

pauperum, vel in alia opera pias quod confirmat, quæ dicta sunt circa obligationem inevitabilem faciendi eleemosynam de redditibus Ecclesiasticis superfluis decenti statui beneficiariorum.

His ita dilucidatis, allegatæ fuerant sequentes rationes, ne differatur eleemosyna post mortem beneficiarii.

Prima Ratio: Quia ipse beneficiarius est in statu peccati mortalis, & incapax absolutionis. Probarunt: Nam, qui debet, & potest rem alienam restituere, & non vult statim restituere, sed committere restitutionem hæredibus, non est absolvendus; quia non censetur benè dispositus, sed in statu peccati mortalis. Coton. lib. 2. Controv. 9. cap. 6. num. 160. & ibi Diana part. 5. tract. 3. resol. 104. Quæ in Coordinato est tom. 1. tract. 4. resol. 51. Sed beneficiarius, qui ex redditibus Ecclesiasticis cumulavit divitias, & retinet superfluum statui suo honesto, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem juxta securiorem sententiam, quam sustinet Alvar. Pelagius de Plantu Eccles. in 2. part. cap. 28. & docuerunt Sanctissimi, ac gravissimi Patres, & Doctores relati à Fagnano in dict. cap. Si quis sanè, num. 1. & à Diana part. 5. tract. 8. resol. 31. Quæ in Coordinato est tom. 4. tract. 7. resol. 26. nec non à Sanchez d. tom. 1. Consil. lib. 2. cap. 2. dub. 38. num. 12. Ergo ut salutem consequatur æternam, debet facere eleemosynam in vita; non autem eam hæredibus committere, post ejus mortem faciendam.

Secunda Ratio: Eleemosyna est utilior eam facienti in vita, quam committenti post mortem. Probarunt. Tres sunt fructus præcipui eleemosynæ Meritum, Imperatio, & Satisfactio. Toler. lib. 8. cap. 41. At eleemosyna post mortem, licet valeat satisfacere pro pœnis, quas Testator debet pati in Purgatorio, non valet ad augendum meritum gratiæ, & gloriæ, prout valeret facta, dum viveret. Nicolius tom. 1. lib. 2. tit. 20. num. 34. Quartus ad Rubric. Missal. post 3. part. in Appendice, quæst. 2. punct. 5. Vers. Colligitur, ubi notat, consultius esse, ut fideles curent sibi applicari Missas, dum vivunt, quam post mortem, quia post mortem lucrantur tantummodò satisfactionem, in Vita autem tum satisfactionem, tum meritum, & augmentum gratiæ. Porro plurimi æstimare oportet augmentum meriti. Sotus in 4. distinct. 21. quæst. 1. art. 1. & Naldus in Verb. Eleemosyna, ubi sic ait: meriti augmentum minimum pluris æstimandum est, quam liberatio à maxima pœna Purgatorii: incomparabiliter, inquam, pretiosius est cum majori merito, & gratia existere in Purgatorio viginti annis, quam cum minori esse illic una die; imò sine Purgatorio in Cælum evolare.

Tertia Ratio. Quia eleemosynæ factæ in vita obtinent ampliorem remunerationem à Christo Domino, ut scribit S. Jo. Chrysost. hom. 32. ad Hebr. his Verbis: Majori amore dignum fueris, majoremque dignum mercede, si Christum, dum vivis, paveris. Ideo dicitur Eccles. 14. 3. Ante mortem benefac amico tuo: ubi Ugo Cardin. glossat, id est Christo.

Quarta Ratio. Quia Ambulantibus in tenebris melius est, si lumen præcedat, quam si post terga feratur. De Purgatorio dicitur, Antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & operam mortis caligine. Job. 10. Cæterum eleemosyna est fax ardens, & lumen resplendens. Frange esurienti panem tuum &c. Tunc erumpet quasi lumen justit.

Justitia tua, Isa. 58. 7. Ergo melius est, eam facere ante mortem.

Quinta Ratio. Quia Securius est eleemosyna facta in Vita, quam ordinata post mortem; siquidem experientia docet, longe plura esse testamenta, quæ carent executione, iis, quibus executio præstetur; & iusta Dei permissione fit, ut qui sibi potuit benefacere vivendo, & noluit, ei, neque post mortem, ab hæredibus beneficiat.

Sexta Ratio. Quia qui dat eleemosynam in Vita, est grator Deo, & qui dat post mortem ea, quæ secum afferre non potest, non meretur gratitudinem, nam

Munera, quæ donat moriens, hæc munera non sunt.

Donat enim, quod jam desinit esse suum, Et ideo S. Basilius Hom. 7. contra divites avaros, sic ait; Sicut nullus post mercatum solutum negotiatur, neque post certamina accedens coronatur, nec post bellum fortia gerit, sic post vitam, nullam pietatis laudem, pramiumve capiet.

Septima ratio. Quia nil eleemosyna gloriosius, & homines misericordes in vita laudantur ab omnibus. *Eccles. 31. 9. Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. Et Senec. 4. De benefic. cap. 22. Est in ipso opere merces rei, & ad alienandas mentes hominum ingens honesti potentia. Et Cicero, Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam dando, & Ovid.*

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis: Quos allegat Sperellus in præcitato lib. de Eleemos. quem omnes beneficiarios legere oporteret.

Octavo ratio, quia eleemosyna non minuit, sed abundare facit bona temporalia; spondente Spiritu Sancto, *Qui dat pauperi, non indigebit. Prov. 28. 27. & infinita propemodum leguntur exempla de hac veritate in Historiis, & vitis Sanctorum.*

Nona, & Ultima Ratio; quia Misericordia in pauperes est signum Prædestinationis, ut fusc prælaudatus Antistes Sperell. *cap. 30. 31. 32. & 33.*

DECISIO CXII.

ARGUMENTUM.

Recensentur rationes, ac diligentia adhibenda ab animarum Curatis, ut retrahant populum à crapulis, & ebrietatibus?

SUMMARIUM.

1. Ebrietatis pro eliminando vitio remedia sex.
2. Ebriosus maritus quomodo emendatus ab Uxore?

PRæter ea, quæ considerata fuerunt supra Decis. 14. à num. 12. Doctores, Parochi, & Curati animarum notare sequentia. 1. Ut ipse Curatus sit studiosissimus Temperantiæ, ac Sobrietatis, juxta illud Apostoli ad Titum 2. 7. *In omnibus prabe reipsum exemplum bonorum operum.* 2. Docendum, ex crapula, & ebrietate procedere peccata enormia luxuriæ, juxta illud: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, Ephes. 5. 19. 3. Terrendos esse populos ab hoc vitio ob multiplicatas maledictiones, quæ in ebriosos leguntur prolata à Deo, & præcipue Prov. 23. 20. Cui va? cuius Patri va? Cui rixæ? Cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffossio oculi,*

lorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? 4. Gravi sermone exponenda mala, quæ resultant ex crapula, & ebrietate; siquidem utraque aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, balbutire facit, corrumpit sanguinem, omnia membra debilitat, excitat iram, atque furorem, omniumque vitiorum fomes est, materque morborum. 5. Monendos auditores, quod Ebriosi regnum Dei non possidebunt, ut ait D. Paul. 1. Cor. 6. & comprobatur Lessius de Just. & Jure lib. 4. cap. 3. dub. 3. num. 15. & Bonacina de legib. disput. ult. quest. 1. punct. 1. num. 2. Ver. 4. 6. Legendos à Curatis animarum per frequenter Auctores agentes de remediis contra vitium gulæ, & præcipue Marchant in Hort. Pastor tract. 5. lect. 1. De Vitio gula. Arelsum lib. 6. Impr. 189. Lessium dict. cap. 3. dub. 3. Thomam Garzonum in Plat. Univ. Discurs. 108. & Georg. Gobatum in suo Quinario tract. 5. per totum, apud quos uberrima reperiuntur argumenta, rationes, industriæ, ac exempla pro crapula, & ebrietatis abusu eliminando.

His ego addam lepidam narrationem, quam Romæ anno 1670. audiavi à P. Rizzolio Soc. JESU in sermonibus suis postmeridianis in Ecclesia Sanctissimi Nominis JESU. Narravit itaque, fuisse quendam Virum ebriosum, quem quadam die vino oppressum, ac sensibus destitutum ejus Uxor posuit extensum in pavimento tanquam mortuum, manibus in Crucis formam ligatis, & syndone cooperuit, ac ad caput, & ad pedes candelas posuit accensas. Vocavit vicinas, quibus dixit, improvisa morte maritum suum sublatum, lachrymas, & dolorem simulabat, & aiebat: Ah saltem confessus esset peccata sua ante mortem! Ejus anima nunc debet esse in inferno. Dum sic lamentaretur Uxor, digesto vino Maritus extulit caput; & quasi vit, Quid esset? Cur Uxor ploraret? Ipsa detracta syndone ait: Oh miraculum! Mi marite, mortuus eras. Deus tibi vitam restituit, ut confitearis peccata tua, & te emendes ab ebrietatis vitio. Tantum concepit terrorem Vir ille ex illa imagine mortis, ut de cætero abstineret à vino, & fuerit virtuosus observator temperantiæ. Ita supradictus egregius Concionator.

DECISIO CXIII.

ARGUMENTUM.

Refertur ordo, sive methodus incensandi Altare juxta Rubricas. Numerus incensationum. Earundem Mysterium, tam in Missa, quam in Vesperis.

SUMMARIUM.

1. Incensum quot vicibus imponatur in Missa in Thuribulo?
2. Incensum quando benedicatur à celebrante?
3. Quando non benedicatur?
4. Incensatio altaris qua gravitate explenda?
5. Incensaturus Altare quando genuflectat?
6. Incensandum quomodo sit Altare in Missa, si sit exposita Sanctissima Eucharistia?
7. Incensandi in Choro quomodo stare debeant?
8. Incensationis totius ordo in Missa solenni.
9. Incensationum in Missa numerus, ac in Vesperis.
10. Incensationis Altaris Mysteria.
11. Incensatio Altaris Demones expellit.
12. Thuribuli significatio Mystica.

Z

De